Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

seculi, sed dignioribus ac nobilioribus secundum
christiane religionis pietatem. Pater eius
tescelinus vir antique et legitime
militie fuit, cultor dei, iusticie te-
nax. Euangelicam namque secundum instituta
precursoris domini miliciam agens nemi-
nem concutiebat, nemini faciebat
calumpniam, contentus stipendiis suis, quibus
ad omne opus bonum abundabat. Sic con-
silio et armis seruiebat temporalibus
dominis suis, ut etiam domino deo suo non ne-
gligeret reddere quod debebat. Mater
aaleth ex castro cui nomen mons barri,
et ipsa in ordine suo apostolicam regulam
tenens, subdita uiro, sub eo secundum ti-
morem dei domum suam regebat, operibus
misericordie insistens, filios enutriens in omni
disciplina. Septem quippe liberos genuit, non
tam uiro suo quam deo, sex mares, femi-
nam unam, mares omnes monachos fu-
turos, feminam sanctimonialem. Deo namque
ut dictum est non seculo generans, singulos
mox ut partu ediderat, ipsa mani-
bus propriis domino offerebat. Propter quod et
alienis uberibus nutriendos committere illus-
tris femina refugiebat, quasi cum lac-
te materno maternum quodammodo boni infun-
dens eis naturam. Cum autem creuissent, quam-
diu sub manu eius erant, heremo magis
quam curie nutriebat, non patiens delica-
tiores assuescere cibos, sed grossioribus
et communibus assuefaciens, et sic eos pre-
parans et instituens domino inspirante

quasi continuo ad heremum transmittendos.
Hec cum in ordine generandorum filiorum
tertium, quem bernhardum habet in
utero, somnium uidit presagium futurorum,
catellum scilicet totum candidum, in dor-
so rufum, et latrantem se in utero habere.
Super quo territa uehementer cum religio-
sum quendam uirum consuluisset, continuo
ille spiritum prophetie concipiens quo dauid de
sanctis predicatoribus domino dicit: lingua ca-
num tuorum ex inimicis, trepidanti
et anxie respondit: Ne timeas, bene
res agitur. Optimi catuli mater eris,
qui domus dei custos futurus, magnos
pro ea contra inimicos fidei editurus est
latratus. Erit enim egregius predicator,
et tanquam bonus canis gratia lingue me-
dicinalis in multis multos morbos
curaturus est animarum. Quo responso mu-
lier pia et fidelis quasi a deo suscepto
leta efficitur, et iam tunc in amorem non dum
nati tota transfunditur, cogitans eum sa-
cris litteris erudiendum tradere, secundum
modum uisionis et interpretationis, que ei
de illo tam sublimia diuinitatis do-
na promittebant. Quod et factum est. Mox enim
ut felici partu edidit, non modo obtulit
eum deo sicut de aliis agere consueuerat, sed
sicut legitur de sancta anna matre samu-
elis, que petitum a domino et acceptum fi-
lium in tabernaculo eius destinauit perpetuo
seruiturum, sic et ipsa eum in ecclesia dei
acceptabile obtulit munus. Unde et